

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 98. (*Neovidensis* 1806. Nro. 92.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola scripta Plutarcho - in Elysium,
Ex mundo superiore

Elysium--Meum.- Die Veneris 28. Novemb. 1806 (Neov. 14. Nov.)

Quemadmodum magni motus magnos paritunt viros, ita etiam magni viri magna producunt facta. Mundus jam a 15. annis in magno est motu, ex quo multi celebres viri partim per prosperam, partim per adversam fortunam prognati sunt, ut vix suppetat tempus colligendi eorum facta ad formandam biographiam. Rerum conversiones, et bella, multo magis decretoria, quam fuerint Graecorum, se mutuo excipiunt, nunquam enim fuit audire, ut intra paucos dies florentissima, et maxime militaris Monarchia sit eversa.

Hoc tamen accidit nostro aevō. Magnus Phocion, qui ultimam Atheniensium gloriam secum tumulo intulit, comparate ad magnos nostrorum temporum viros non nisi ut leve documentum spectari potest. Ipsi victores ad horum conspectum victas debent dare manus.

Atque haec est, mirifice Plutarche! nostri temporis inago. Quot excellentes viri in

ea delineati conspiciuntur? Quam latus aperitur tibi, Cornelio Nepoti, Svetonio campus, quos orbis terrarum tanquam magistros biographarum miratur. Paucos numeramus vestri imitatores, sed et in illis quanta desiderantur?

Ingenue fatendum est, antiquitus descriptionem vitae magnorum virorum fuisse efficax exemplum imitationis. Et reipsa gratos nos esse oportet erga praeclaros viros; probe enim animadvertendum est, honorificam mortuorum memoriam unicum esse bonum, quod illos in hac vita, quam deseruerunt, manet. Nostrum itaque est, hoc tam vile monumentum illis non denegare. Ad arma descendere, inquit Cicero, si gloria celebrium virorum, vita functionum foret propugnanda, illi etenim arma corripuerunt, et vitam discrimini objecerunt ad salvandos suos cives, promovendamque eorum felicitatem.

Haec sunt immortalia monita, specimen virtutis generi humano dicatum! Imagines, et statuæ, quæ lineamenta corporis magnorum virorum exhibent, oblectant tantum oculos nonnullorum praesentium; At vitae descriptiones, vivis adumbratae coloribus, explicant ipsum animum, praeclare facta, virtutes, atque vitia. Multiplicantur absque gravi labore, transferuntur in alias lingvas, demigrant in remotissimas regiones, et ut singularia ad imitandum documenta proponuntur.

Gratias tibi ago, Plutarche! pro volupta-

te,
pore
mort
serva
quos
quid
as,
man
imm
one
que
se at

pub
pro
set
ocu
ribu
tho

Bor
rem
eju
Ast
tor
Ex

co
nar
Ma
et
en
de

te, qua me replevisti; Hoc bellicoso tempore jucundissima ratione me recreant illustres mortui, quorum facta nobis in tuis libris conservasti; Magnos istos, et sapientes viros, quos antiquitas venerata est, et qui, veluti quidam benefici Dii hominibus artes, scientias, cognitionem armorum, liberalem, et humanam culturam instillarunt, mente concipio, immersusque huic cogitationi, prae admiratione: sino cadere antiquum volumen, videreque mihi videor hos sacros manes coram me se attollere, atque ante oculos meos obversari.

Praesens bellum tam copiosos profert in publicum conspectum viros magnos, ut elapso saeculo nullus reperiat, qui cum his posset comparari. Ut heroica hujus aevi virtus oculis subjiciatur, et cum praeteritis temporibus conferatur, recurrendum est ad Mythologiam.

Notum est Fridericum Magnum, Regem Borussiae bellicis laudibus summum splendorem esse assecutum; dictus est Mars Europae, ejus autem provinciae schola artis bellandi. Ast non vicine Martem Hercules? non extorsitne illi arma? sed abrumpo similitudinem. Ex sequenti narratione feratur judicium:

Vigesima tertia gallica relatio de bello in compendio: Berolino 30, Octobris. Dux Viniariensis transivit Albim ad Havelbergam. Mareschallus Soult die 29 fuit Rathenaviae, et 30. Vertenhausae. Agmen Ducis Vinariensis 29. venit Rinsbergam, Princeps autem de Ponte Corvo Fürstenbergam. Eadem die

hostile agmen ex sex mille viris conflatum se
 deditit Generali Milhaud, unde nobis obtige-
 runt 2000 equi, rebus omnibus instructi. Ma-
 reschalius Soult Rathenaviae compulit 500.
 equites Saxones ad deditionem. Mareschal-
 lus Davoust ad Francofurtum traiecit Oderam.
 Bavaricae, et Vürtembergicae foederatae co-
 piae ductore Principe Hieronymo proficiscun-
 tur Dresda Francofurtum. Rex Borussiae se
 recepit Graudenum proae Vistulam, ubi ad
 summum 12. vel 15. milia virorum colligere
 potest. Propugnacula in Silesia carent praesidio,
 et munitionibus. Usque praesens eripu-
 imus hosti 150. vexilla, etiam illa: quae
 formosa Regina acu phrygia paraverat, haec
 pulchritudo populo Borussico ita noxia facta
 est, uti olim Helena Trojanis. Turma prae-
 toria captiva ducta est Spandaviam per Bero-
 linum, ubi paucas ante hebdomadas plena
 elato spiritu incedebat. Hodie Imperator
 pompae militari interfuit ab hora 11. usque
 6-tam vespertinam. Generalis Savary cum
 duabus legionibus equitum assecutus est Du-
 cem Vinariensem, statque in medio inter Ma-
 gnum Ducem Montanum, Principem de Pon-
 te Corvo, et Mareschalius Soult. Occupa-
 tae sunt provinciae Ducis Brunsvicensis, qui
 videtur in Angliam navigavisse.

Vigesima quarta bellica relatio strictim
 recensita: Beroiino 31. Octobris. Suetium
 in nostra est potestate: Quo tempore sini-
 strum cornu Magni Ducis Montani coegit
 sex mille viros deponere arma, eodem dex-

trum cornu sub belliduce Lasalle cepit Stetinum. Locus hic est bene munitus, in manus nostras venerunt 160 tormenta, copia annonae, 6, mille captivi, inter quos plures Generales. (In punctis deditiois fit etiam mentio thesauri Stetini inventi) cum hoc propugnaculo occupavimus praecipuam urbem commercialem Borussicam, et solide constructum super Odera pontem. Quamprimum fuerint copiae Ducis Vinariensis, et Generalis Blücher a tergo, et latere circumventae victae, exercitus intervallo aliquot dierum conquiescet. De Russis nihil adhuc audimus, utinam 100 millia eorum advenirent, verum rumores de eorum itinere inanes sunt; Illi contra nos non profiscuntur. Austerlitz manet alta mente repostum. Cuique ratione praedito bilis movetur, dum Alexandrum Imperatorem suo Senatui dicentem audit, esse tantum foederatos Russiae profligatos. Quo diutius duraverit bellum, eo citius evanescet metus potentiae Russicae. Sapientia Catharinae firmata Politica, insania hodiernorum Ministrorum ludibrio erit Europae. Rex Hollandiae appulit Monasterium, Mareschallus autem Mortier cum suis legionibus Fuldam. Fuldae, et Brunsvici deponuntur insignia priorum Rectorum, neuter horum novae coalitionis auctorum regnabit amplius. Nolebant Angli inire pacis conditiones, cogentur eas acceptare, verum systema foederativum Galliae pluribus et provinciis, et oris maritimis

augabitur. (Die 8. Novembris adveniens nuncius praeter rerum gestarum expositionem, in 23. et 24. bellica relatione contentam, id etiam attulit: die 31. Octobris munimentum Cüstrinum cum 6. mille viris et 80 tormentis venisse in ditionem victoris, Borussiaeque Generalem Bila cum una equitum, et duabus legionibus peditum a Magno Duce Montano esse captum.)

De capto Cüstrino, et Generali Borussiae Bila sequentia fide digna narrantur: Magnus exercitus. Princeps hospitium Berolini 2. Novembris. Exercitui notum redditur, Cüstrinum se potestati Mareschalli Davoust subjecisse, heri hora 7. vespertina munimentum hoc ingressus est Divisionis Generalis Gudin. Solatio est Suae Majestati divisioni huic, quae se in conflictu ad Jenam ita peculiariter distinxit, remunerationis instar obtigisse, ut prima in hoc splendidum intraret propugnaculum. Praesidium constabat ex 4 mille viris, qui omnes captivi facti sunt, ex 90 tormentis, rebus necessariis provisit, resque frumentaria inventa est in abundaantia. Agmen Borussiae Generalis Bila, post pugnam ad Auclamum in limitibus Svecicae Pomeraniae habitam captum est. Divisionis Generalis Becker producta in aciem desultoriorum legione fortiter aggressus est hostem, cinxit, et compulit ad deditioem. Huic Generali, et centuriae Dimachorum Bassard Sua Majestas significat suam approbationem. Vi-

dit illa ejus invictum animi robur in certamine prope Zehdenick, et Viemendorf commissio.

Mareschallus Alexander Bosphor.

Ex bellica gallorum relatione de 27. Octobris patet; validissime muniri Erfurtum, Wittenbergam, et Spandaviam, ut durante bello rebus, et personis praestent securitatem.

Numquid non est hic labor herculeus? Non estne Mars septemtrionalis armis exutus? De reliquis adhuc armatis ista habemus ex litteris officiosis: Copiae imperio Principis Brunsvico - Oelsensis, et Generalis Blücher parentes, in summa 25 millia virorum praestolabantur hodie legiones gallicas Lubecae.

Urbs haec capta est per assultum. Victoriā illustrarunt 6. mille captivi, 3. Generales, 50 tormenta, et complura vexilla.

Caeteri profligati diffugerunt; spes est non vana, ut hodie, vel cras adigatur Generalis Blücher ad deponenda arma.

Hamburgo 7. Novembris. A senatu nostro factae sunt necessariae dispositiones, ut, si forte fugientes copiae se ad nostrum territorium recipere intenderent, arceantur. Portae clausae sunt.

BIOGRAPHIA.

Plutarchus, Cheronea, urbe Boeotiae, Provinciae Graecae, quam hodie Turcae Stramulipam vocant, oriundus, editis operibus magnam sibi comparavit existimationem sub Trajano initio saeculi secundi post Christum natum. Peragrata Graecia, et Aegypto venit Romam, docuitque philosophiam. Trajanus eum magni fecit, et creavit Proconsulem. Verum benefico hoc Caesare mortuo rediit in patriam, ubi oraculi instar habebatur. Conjectura est eum A. 140 regnante Antonino Pio supremum diem excessisse. Extat ab eo conscriptus liber: *Vita illustrium virorum*; et nonnullae dissertationes de morali doctrina. Primum opus absque omni dubio est notatu dignissimum monumentum veteris historiae. Comparat inter se Romanos, et Graecos heroës, jam laudat eos, jam vituperat ex propriis factis, et actionibus. Ita oportet homines pingere. Ejus stylus est gravis, et fluidus, expressiones suaviter animum afficientes, lucemque affundunt rebus olim gestis. Verum apparet eum plus favisse Graecis, utpote suis popularibus, quam Romanis. Illius autem dissertationes de moribus tantam laudem non merentur; interim dicendum est, quod res est, in scribendis Biographiis neminem habuit parum.